

MEDICINÆ INSTAVRAT. NOMENCLATOR.

de respirationis difficultate, olim à me conuersos, & per se (cum Marcelli empirici opere) editos, nunc aliquanto magis politos huc reposui. Atq; hæc quidem sunt ueteres meæ translationes, aliquoties antea excusæ, & seorsum, & cum totius Galeni editione. Recentes uerò, & nunquam antea uisæ nostræ conuersiones, quas partim in hanc futuram editionem repositas seruauimus, partim pro alijs, quibus nullam opem ferre possemus, substituimus, hæc sunt. De optimo docendi genere. Quomodo deprehendere oportet eos, qui ægrotare se fingunt. De septimestri partu. De parua pilæ exercitio. De marcore. De tremore & palpitatione, conuulsioneq; ac rigore. De urinis. De dinotione ex insomnijs. De prænotione ad Epigenem. De ponderibus ac mensuris. De hiru dinibus, reuulsione, cucurbitulis & scarificatione. Linguarum Hippocratis expositio. De melancholia ex Galeno, Rufo & Posidonio, ab Aetio conscripta. At quæ in omnibus prioribus editionibus desiderantur, neq; antea excusa sunt unquam, in hac editione per me restituta habentur hæc. In primo tomo, liber primus de dogmate Hippoc. & Plat. sed tamē adhuc ἀνεφαλο. In secundo tomo, liber de pituita, qui hæctenus in omnib. exemplaribus Græcis & Latinis mancus fuit. In tertio tomo, liber de Comate recens quidem à me translatus, sed ad quem amplius quàm dimidia pars accessit, quæ desiderabatur in Græcis impressis. In totius quidem Galeni prioribus Græcis editionibus, hic liber in totum deest. In sexto tomo, libri de remedijs facile parabilibus principium restitutum est. Porro quæ singula singulatim in singulis libris, imò singulis librorū columnis ac ferè uersibus, reposita sunt ac restituta, ea ita multa sunt, ut nullis Commentarijs, etiam ipsa Galeni opera magnitudine excedentibus, satis commodè explicari possint. Hæc Cornarius de suis in Galenū lucubrationib. Trāstulit autē præter iam dicta, etiam de urinis librū spurium. In Veneta quidem editione ex officina Iuntarum secunda & tertia, (quæ & Frobenianæ officinæ puto tertia est, hoc anno 1561.) pleraq; à Cornario translata, ab Italis quibusdā uiris doctis, ad Græca exemplaria recognita sunt, ut in primo Catalogo nostro, qui est operum Galeni, singulatim indicauimus. Utinā uerò tantæ diligētiae & doctrinæ uirū, fata diutius arti medicæ concessissent, donec promissam etiam Græcorū Galeni operum editionem, longè quàmquæ hæctenus excusa sunt (Venetijs primū, deinde Basileæ,) tum integriorē, tunc minus mēdosam, perficere potuissent.

Innominatus & incertus quidam interpretes uetus, siue unus is quidam fuerit, siue plures fortè, multos ex Galeni libris Latinos fecit, sed inelegāte & barbarico stylo: quorū nihil ferè, ni fallor, typis excusum est: quoniā meliores & doctiores nostri seculi hominū trāslationes ex libris Græcis, ueteris interpretationis loco sunt receptæ. Suspicio equidē Gerardū Cremonensem, de quo supra diximus, aliquos eorū uertisse. Excusæ sunt cum Galeni operibus trāslationes illæ ueteres inter spurios tantū libros, qui ferè Græcè non extāt: ut sunt, De dynamidijs libri duo. De spermate. De natura & ordine cuiuslibet corporis. De anatomia parua. De anatomia uiuorū. De cōpagine membrorū, siue de natura humana. De uirtutibus nostrum corpus dispensantibus. De troce & anhelitu. De utilitate respirationis. Cōpendiū pulsuū. De dissolutione continua. De bonitate aque. De uinis. De simplicib. medicamentis ad Paternianū. De catharticis. Liber secretorū ad Montem. De medicinis expertis. De cura icteri. De cura lapidis. Quæ sita in Hippoc. Libri etiam de motu thoracis & pulmonis (qui fortè fragmentū est illorū triū librorū, quos Galenus de hac re cōposuit,) uetus & incertus interpretes est: & Græcè itidē non habetur. Incertus etiam tr. librum spurium de incāratiōe & amuletis, & colli suspensione, &c. qui nec ipse Græcè extat. Qui uerò de subfiguratione empirica inscribit, Græcè habetur, quanquā ab incerto trās latus. Est qui modestiæ causa ab initio translationib. suis nomē suum nō addiderit, ut Io. Guinterius interpretatis à se primū libris, de dieb. decretorijs, de morborū temporibus, & de generalibus morborū temporibus, quos Cratæder Basileæ excudit an. 1533. ¶ Innominatus quidā, libros de usu partium ex Nic. Regij uersione, contulit cum Græcis exemplaribus, & ueteri trāslatione: unde quædā emendata ad margines annotauit, & quæ ex ueteri uersione placebāt, licet in Græco nō reperirētur, parenthesis notata inseruit: sed omnia festināter & ad prælū cum hi libri Basileæ cuderentur anno 1533.

Ioachimus Camerarius Pabergensis, Germanus. edidit Commentariolum de theriacis & Mithridateis remedijs: & Galeni de theriaca ad Pamphylianum librum transtulit. item Antidotos quasdā, ut Galenen Andromachi, & Theriacam Antiochi. Libellus impressus est Norimbergæ apud Io. Petreium anno 1534. in 8.

Io. Agricola Ammonius (aliàs Hāmonius) natione Germanus, medicinæ & Græcæ lingue professor Ingolstadtij, scholia copiosa in Therapeuticā methodū Galeni condidit: impressa Augustæ Vindelicorū in 8. anno 1534. chartis 38. Item Cōmentariū in libros 6. de locis affectis, inuulgatū typis Norimbergæ, an. 1537. (quo etiā ab authore scripti sunt) in 4. chartis 33. Cōmentariū in librum de inæquali intēperie. Deniq; lib. sextū Epidemiorū, à Leonh. Fuchsio trans. ordine alphabetico digessit, adiectis perbreuib. expositionibus atq; annotationibus difficilium seruporum.

Iohannes Andernacus. Vide infra in Io. Guinterio.

Io. Alex. medici & sophistæ Cōmēt. super Epidem. Hipp. lib. impressi cū Ioānicio. Hic an idē sit qui Alex. Iatros appellat, & Alex. Trall. Iatrosophista à quibusdā, querēdū. Quisquis est, fidē & auctoritatē eius eleuat author innominatus Antisophista, de quo in Nic. Leonicensi mētiōe dicet.

Io. Argem

CATALOGVS SECVNDVS, SIVE

Io. Argenterius Italus, medicus & philosophus doctissimus, anno Domini 1550. opus edidit, de quo discipulus eius Reinerus Solenander, in apologia, qua Iulio Alexandrino pro Argenterio respondet, prefatione, sic scribit. E. Volui autem eius uerba ponere, quonia Argenterij scripta mihi nondum inspicere uacauit. ¶ Io. Argenterius in opere suo de morbis, singulari ingenio uarijs libris eorum genera diuisit: species & differentias distinxit: Causas explicauit, effectus ordine tradidit, partes & tempora obseruauit: descripsit indicia: notauit praesagia: & ratione inuenit instituitque curationum modos & leges: neque haec solum, uerum etiam quae ad sanitatem tuendam pertinent, eo in opere explicat. Atque de his omnibus ita doctè, ita eleganter differuit, ut credam antehac nihil magis absolutum aut perfectius fuisse in hoc argumenti genere diuulgatum. Nam quae ab antiquis passim de hac re & uariè scripta fuerant, collegit, multa restituit: quae obscura erant & abstrusa, interpretatus est: plurima noua de suo inuenit & addidit: omnia denique ordine atque methodo explicauit, &c. Exiuit & postea, ut audio, editio altera, Florentiae, multis in locis expolita & aucta ab authore. His in libris quoniam per saepe à Galeno dissentit, excellentissimus doctrina uir Iul. Alexandrinus, Galeni defendendi causa, Antargenterica edidit: quibus apologia sua respondit Solenander: & huic rursus, ni fallor, Alexandrinus nuper.

Io. Baptista Cananus Ferrariensis medicus anno Domini 1543. claruit Ferrariæ, & edidit librum primum operis anatomici sui quod inscribitur musculorum humani corporis picturata dissectio, subtilissimis sane & perpulchris in aere sculptis figuris. Liber primus musculos manuum & brachiorum habet: promittit autem reliquos etiam libros mox se daturum, quos ego haecenus non uidi.

Io. Baptista Montanus Veronensis philosophus & medicus celeberrimus, artis usu doctè & ratione exquisita & methodica incomparabilis, Galeni opera primus (ut quidem scribit) in prima Iuntarum editione Venetijs, circa annum Domini 1540. si bene memini, in ordinem redegit: eiusque ordinis rationem doctissima ad Lucam Ant. Iuntam epistola reddidit: in qua quae reprehendebant aliqui, in epistola ad lectorem excusauit in sequenti editione. Extant quidem non pauca eiusdem Montani scripta, post mortem eius partim edita, partim promissa, ut Consiliorum uolumen iustum: & minores aliquot libri, omnia iuxta Galeni methodum condita: quae si superuixisset ipse, & ad editionem parasset, perfectiora melioraque procul dubio haberemus, &c. Eiusdem perioche in libros Galeni, de elementis, de natura humana, de atra bile, deque temperamentis & facultatibus naturalibus, impressae sunt Venetijs à Valgrifio, anno 1560. cum Ioannis Cratonis Isagogae ad artem medicam. Edidit etiam tabulas diuersas in Artem paruam Galeni, de quibus dictum est supra in Catalogo primo.

Io. Baptista Sufius Mirandulanus, uir in medicorum & philosophorum euoluendis libris summo cum studio & iudicio uersatus, addidit editionis secundae operum Galeni ex officina Iuntarum, anno Domini 1550. singulis ferè libris argumenta: capitaque tum quae inerant emendauit, tum quae deerant libris adiecit. Edidit etiam librum de sanguinis mittendi ratione: in quo ostendit in quibus nam nostri saeculi medici, contra Hippocratis & Galeni sententiam peccent circa Phlebotomiam. Petrus Perna impressit Basileae anno Domini 1559. Audio & recentiore hoc ab eo diuulgatum esse, eiusdem argumenti prolixiorum, in quo contra doctissimos uiros Trincuelium & Vesalium disputet.

Io. Bernardus Felicianus Italus uir scientia linguisque apprime ornatus, libros aliquot Galeni à se translatos, aliquot locis prius quam uita fungeretur, elimauit: quales ex emendatione eius, in tertia Iuntarum ac Frobeniorum quoque editione nunc leguntur: De placitis Hippocratis & Platonis libri. De uteri dissectione liber. De foetuum formatione. [Hos omnes etiam Cratander Basileae excudit anno Domini 1535.] De semine libri ij. De septimestri partu. In librum Hippocratis de his quae in medicatrina fiunt, Commentarij tres. In librum Hippocratis de articulis, Commentarij quatuor. In librum Hippocratis de fracturis, Commentarij tres. Ultimos quidem hosce chirurgicos libros à se translatos, figuris aliquot illustrauit.

Io. Bocaudus, regius montis pessuli medicinae professor, edidit tabulas curationum & indicationum, ex prolixa Galeni methodo medendi in summa rerum capita contractas. Io. Frellonius excudit Lugduni 1554. chartis mediae magnitudinis sex, ab una parte.

Io. Caius Britannus, medicus nostro tempore celeberrimus Londini, & omni literarum genere cultissimus, (cuius cum alias uirtutes, tum magnificam in literarum studiosos suae patriae liberalitatem posteritas praedicabit) primus inuenit librum primum Galeni de placitis Hippocratis & Platonis, (qui haecenus Graece nondum impressus est,) & latinitate donauit, antequam cum reliquis Galeni operibus excuderetur ex aliorum translatione. Vertit etiam librum Galeni de libris proprijs, cum libello de Ordine librorum suorum, Hos uero (inquit in prefatione) uertere potius, quam castigare ab alijs conuersos uisum est: tum quod nollem castigando falcem meam mittere in messem alienam, tum quod facilius multo fuit de integro traducere, quam aut uetera retexere, aut noua assuere, cum tot in locis à priori & uulgari exemplari Graeco uariuimus: cuius rei causas tum aperiemus, cum in librum Graecum de libris Galeni proprijs annotationes dabimus. Interpretatus est praeterea Galeni librum de ratione uictus secundum Hippocratem in morbis acutis, antehac

MEDICINÆ INSTAVRAT. NOMENCLATOR.

ante hac neq; Græcè neq; Latinè editū: Cuius ipse Galenus inter Therapeuticos meminit, est autem alius, quàm Galeni Cōmentarius in Hippocratis librum eiusdē tituli. Hæc omnia publicata sunt Louanij, anno 1556. in 8. unà cum eiusdem Caij de medendi methodo libris duobus, ab ipso recognitis atq; auctis: & de ephemera febris Britannica libro uno. Circa annum Domini 1545. Basileæ impressi sunt libri quidē Galeni Græcè, multò quàm antea castigatiores. Io. Caij opera, inter quos unus est *περὶ κώματῶν*. Promittit autem se etiam librū de ratione uictus secundū Hippocratem in morbis acutis breuī Græcè editurum, &c.

Io. Crato Vratislaviensis, medicus & philosophus insigniter doctus, & nuper medicis Cæsareis doctrinæ suæ & uirtutum merito adscriptus, edidit Io. Baptistæ Montani quædā, quibus doctrina Galeni in uniuersum, & aliquot eius libri priuatim, non uulgariter illustrantur: ut sunt Periochæ in libros de elementis, de natura humana, de atra bile, de temperamentis, de facultatibus naturalibus: impressæ Venetijs apud Valgrisiū, anno 1560. unà cum ipsius Cratonis ad artem medicam Isagoge (id est introductione) per Erotemata: quæ ut breuissīma, ita succi plena, & totius artis *σωματοποιήσις* quædam est, consideratis in ea & adscriptis breuiter doctissimorum nostri seculi uirorū Montani & Fernelij sententijs. His accedit epistola Cratonis, qua rectè Galenum legendi ratio breuiter ostēditur. Omnium chartæ sunt xij. ferè. Eiusdē methodus Therapeutica ex sententia Galeni & Io. Bapt. Mōtani, Basileæ typis Io. Oporini excusa est, anno 1555. cum libellis sequētibus, ex Montani sententiā omnibus, hi sunt: Idea Hippocratica, uel characterisimus doctrinæ Hippocraticæ in prælectione aphorismorū Hippocratis à Io. Bapt. Montano propositus studiosis. De humore melancholico. De generatione pituitæ, contra eos qui affirmant pituitam in uentriculo generari. De alimētis seu uictus ratione. De Coctione & præparatione humorum. His quidē edendis si tempore magis abundasset, magis exornaturum se quædam & locum de coctione magna ex parte mutaturum fuisse scribit. Omnium chartæ sunt xij.

Io. Dantzius Astenlis, natione Germanus, (qui Francfordiæ ad Mœnum obiit, circa annum Domini 1546.) edidit Dialogos quatuor de facultatibus simplicium medicamentorū in genere: & simul tabulas ita distinctas, ut quas Tacuinos uulgò medici nominant: in quibus iuxta alphabeti ordinē simplicia pharmaca cum suis uiribus enumerat. Opus hoc impressum Basileæ apud Henricum Petri, ueluti Epitome est librorum Galeni de facultatibus simplicium medicamentorum.

Io. Fichardus Francfordianus tr. Galeni librum de libris proprijs, unà cum libello de librorū suorū ordine. Quomodo morbum simulantes sint deprehendendi. [Quæ postea Venetijs emendatiora prodierunt.] Item De exercitatione paruæ pilæ. De præfagijs ex insomnijs. Consilium in morbo comitiali. Quæ omnia Cratander excudit Basileæ, anno 1531. in folio.

Io. Francisci Rotæ Itali, de intr oducendis Græcorum medicaminibus liber, ueluti Cōmentarius in Galeni librum primum de compositione medicamentorum per genera. Anselmus Giaccarellus excudebat Bononiæ 1553. in folio. chartis xx.

Io. Guiceus Stratader, natione Gelrus, patria Yselostadius in omnes subdititios Galeni libros illiq; temerè adscriptos, & spurios, necnon authorū aliorū Gal. operib. intermixtos, *Διορθωσις* siue Elenchum uocum & rerum conscripsit copiosissimū, huic editioni anni 1562 primò adiunctum.

Io. Guinterius Andernacus, (qui ab initio aliquādo Ianum Antoniacū se nominauit.) natione Germanus, uir eruditione matura solidaq; præstans, inter primos nostro seculo plurimos Galeni libros, nondū transl. aut ex ueteri tantum barbarica transl. extātes, pura Latinitate donauit. Laudatur is, & si quid fortè, dum festinātibus typographis se accomodans à principio inter trāsferendum aberrauit, excusat ab Andrea Lacuna, ubi in annotationes suas, quib. aliquot Gal. interpretum lapsus emendat, præfatur. Quæ primū conuertit, Parisijs excusa sunt à Colingeo, anno Domini 1529. & deinceps usq; ad annū 1334. postea etiam Basileæ apud Cratandrū: & quædam ex eis in editionibus operū Galeni, quæ Venetijs ac Basileæ diuulgatæ sunt, emendatiora prodierūt, ut in Catalogo librorū Galeni singulatim indicatum est. Quæ autē transtulit Galeni à me hæctenus uisa, hæc sunt: De sectis. De constitutione artis. Introductio seu Medicus. De elemētis. In librum Hipp. de natura hominis Cōment. duo. De atra bile. De facultatū naturalium substantia. De optima corporis humani cōstitutione. De bono corporis habitu. Quod animi mores corporis tēperaturā sequantur. De priorū animi cuiusq; affectuū agnitione & remedio. De anatomicis administrationibus libri nouem. De semine liberi cui & castigationes Græci exemplaris aliquot adiecit. De pulsibus ad introducendos. In Hippoc. librū de uictus ratione priuatorum Comment. De plenitudine. De tumorib. præter naturā. De palpitatione, tremore, rigore, & cōuulsione. De morborū temporibus. De totius morbi temporib. [Huic quidē & præcedenti ab initio nomen eius non adscriptū est, sed incerti interpretis: Postea uerò recognouit, & adscripsit.] De typis Ad eos qui de typis scripserunt. De diebus decretorijs libri tres, quos incerti interpretis nomine à principio edidit, & annotationes in singulos libros subiecit, quib. loca quædā ad Græcos codices emendat. postea recognitis suum nomē addidit. De præfagijs ex insomnijs. De cōpositione medicamentorū secundū general. li. viij. De remedijs paratu facilib. De theriaca ad Pisonē. De antidotis lib. ij. Quos purgare, quādo, & qualibus medicamentis oporteat. Extat etiā eius præfatio in metho-

CATALOGVS SECVNDVS, SIVE

dum medendi Galeni ad Glauc. seorsim Græcè Parisijs olim excusam: ubi conqueritur de medicinæ ueteris interitu. Anatomicarum institut. eius, secundum Galeni sententiã, ad candidatos medicinæ libri quatuor, impressi sunt Basileæ primùm anno 1536. in 8. chartis decē. deinde recogniti & aucti per Andr. Vesalium Venetijs in 16. Viuit adhuc Argentorati: & ut audio, de uniuersa arte medica uolumē cōscribit, quod quidē accuratiss. eruditissimūq; futurū nō dubitamus.

Io. Manardus medicus Ferrariensis, uir longè doctiss. & inter præcipuos rei medicæ aduersus barbariem assertores, scripsit Comment. in primum Artis paruæ Gal. lib. cum proœmio in eandē. Bebelius excudit Basileæ anno 1536. chartis 16. prima quidē pars horum Comment. prius etiam à Cratandro Basileæ impressa fuerat. Edidit etiam epist. medic. lib. xx. in quibus de uarijs simpl. medic. quod ad Latina, Græca & Arabica eorū nomina attinet, &c. deq; uarijs morbis, eorum nominibus in iisdem linguis, & curationibus agitur: & alia quædā explicantur: ad Galenū quidem peculiariter pertinentia nulla, aut paucissima. Nam undecimi libri epist. 1. exponitur caput 21. libri primi Galeni de differentijs pulsuum, iuxta antiquam translationem. Eiusdem libri epistola quarta, docet de albo iure ad pisces coquendos, deq; medicamine diapompholygos, &c.

Io. Morisotus medicus Dolæ in Burgundia, multijuga eruditione & utriusq; linguæ cognitione apprimè celebris, intra paucos annos edidit Epitomē in Galeni de temperamētis, & inæquali intemperie libros Græcè & Latine. Aphorismorum Hippoc. genuinam lectionem Græcè, & eorundem fidelem interpretationē, cum Galeni censura in eos omnes, qui minus erant absoluti. His accesserunt Adnotat. in Cornelij Celsi loca quædam ex aphorismis translata. Item trium Galeni de diebus decretorijs librorum Epitomē, quæ & una est ex illis Adnotationibus, Oporinus excudit Basileæ anno 1547. in 8. Librum etiam (inter spurios Galeni) de decubitu ex Mathematica scientia, incredibili labore à se recognitum, & mox Latinitate donatum testatur ipse: ego editum nondum uidi: ut neq; Epitomas illas prædictas.

Io. Paulus Crassus. Quare infra in Iunio Paulo.

Io. Polltus Germanus tr. librū de prisana: eiusq; aliquot locos mutilos, in præfatione ad lectorē ex Oribasio & Aegineta impleuit. De purgant. medic. facultate. De his quos purgare oporteat, quibusq; medicamētis, et quo tempore: In cuius libri cap. 3. sub tit. Quæ legitimā purgationē antecedere debeant, lacunam quandā quomodo expleri possit ex primo uolumine Therapeuticorū ad Glaucōnem, in præfatione ostendit. Hos omnes Cratander impressit Basileæ anno 1533.

Io. Sermoneta medicus docuit Bononiæ anno 1430. edidit autem Quæstiones in Technen Galeni, & alias subtilissimas in aphorismos Hippocratis. (Vide infra in Symphoriano Campugio.) utrunq; opus impressum est in Italia.

Io. Valuerda de Hamusco edidit Anatomien corporis humani, Hispanicè primùm, deinde Italicè, cum figuris elegantissimis ære expressis. Liber excusus est Romæ 1559. in (paruo) folio, chartis 86. Fatetur autem in præfatione se imitatum esse figuras Vesalij: & quod in Latinam linguam ideo non conuerterit: quoniam Vesalij exemplaria Latina extent, in quibus omnia copiosius tractentur: & quod ea, quæ post Vesalium in humano corpore deprehensa sunt, parum ad curationes (hic enim anatomes finis est) momenti adferant. Et quod Realdus Columb. anatomicus excellens, præceptor eius in anatomicis, Latinam suam anatomien additioni iam parasset.

Io. Vassæus Meldensis, Gallus opinor, uir clarus circa annum Domini 1530. trāstulit libros de respirationis causis, usu & difficultate: quos Cratander impressit Basileæ 1536. Commentarios Galeni in libros Epidemiorum Hippocratis, primum tertium & sextum: qui excusi sunt Lutetiæ 1545. Eisdem Rouillius Lugduni excudit in 16. anno 1550. editione prima, ut titulus habet. In primum Prorrhetici librum Commentarios tres: quos Aug. Gadaldinus postea recognouit: sicut & Cōmentarios quatuor in libros Hippocratis de uictus ratione in morbis acutis à Vassæo conuersos: quos Cratander olim Basileæ excudit 1533. deinde Rouillius Lugduni 1549. à Gadaldino recognitos, cum scholijs per margines, præfixit iisdem præfationē Vassæus, qua prisanae usum defendit contra Io. Manardum, quamuis eius nomine non expresso.

Ioannitius. Vide supra in Humain.

Ionas Philologus medicas definitiones Galeno adscriptas, Latinas fecit, sed parum dextrè. Colineus impressit Parisijs seorsim 1528.

Iosephus Struthius Posnaniensis medicus, natione Polonus, trāstulit iam olim, adscriptos Galeno libros, de urinis, & de astrologia siue Prognostica de decubitu infirmorum ex mathematica scientia: quos Cratander Basileæ euulgauit anno 1536. Edidit idem Sphygmice artis iam mille ducētos annos perditæ & desideratæ libros 5. Io. Oporinus excudit Basileæ anno 1555. in 8. chartis 25. De his author ipse ab initio libri primi sic scribit: Habuit olim ars sphygmica celeberrimos authores, Asclepiadem, Atheneum, Erasistratū, Magnum, Archigenem, &c. ultimū omnium Galenum, Archigenis & Herophili Commentatorē. Sed hi omnes partim iniuria temporū, partim incendio templi Pacis Romæ, nobis sunt adempti. Restant libri de pulsib. Galeni, non adeo exigui, sed inextricabiles: quos nemo unquam Latinos intelliget, etiā si quis se ad insaniam usq; in eis exerceat, & Græcos nō facile: sunt enim pluribus in locis mutili et deprauati, ac ea spe à Galeno con-

MEDICINÆ INSTAVRAT. NOMENCLATOR.

Ieno cōscripti, quòd uix unus è mille (ut ipsemet testatur Galenus) eos sit intellecturus, &c. Ego quæ iam à xx. annis, ab eo usq; tempore, quo artem medicam Patauij stipendio senatus Veneti, publicè sum professus, moliri cœpi & extruere, (quorum prima lineamenta fortassis adhuc habent illi discipuli, qui à nobis tum dictantibus ea exceperant) libens studiosis profero, ut saltem delicatioribus ingenijs ansam præbeam, adgrediendi & prosequendi sublimiora huius artis opera. Quàm uerò hæc ars sit utilis & honorifica, uel inde conijcias, quòd Galenus nulla alia philosophiæ parte tantùm inclaruerit, & tam celebre nomen sit consecutus apud senatores Romanos, & Imperatores, quam sphymica. Iam si mihi de me ipso citra notam arrogantiæ loqui licet, quidquid ego autoritatis apud populares meos & exterarum nationes, quidquid inuidiæ apud æmulos, quicquid opum & diuitiarum, (quibus me abundare, ne Dei beneficio ingratus esse uidear, inficiari nolo) sum adeptus, id totum diuinę benignitati & arti sphymicæ acceptum refero.

Iosephus Tectander Cracouiensis uertit libros ij. de uenæ sectione aduersus Erasistratum, & Erasistrateos qui Romę degebant. eos Cratander excudit Basileæ anno 1536. Iidem excusi sunt Lugduni apud Rouillium 1549. cum adnotamentis ad margines.

Iulius Alexandrinus Tridentinus, sacre Cæsareæ maiestatis archiater, omni uirtutum doctrinæq; genere præstantissimus dialogis de medicina & medico doctissimè scriptis, uiam qua ad uerum decus in arte perueniendum sit, monstrat: ut Io. Crato & ipse medicus Cæsareus testatur, & doctissimi quique fatentur. Impressi sunt autem hi dialogi numero 5. Tiguri apud Andr. Gesnerum, anno 1557. in 4. Ex Galenicis transtulit hæc: De succorum bonitate & uitio, (uel de cibis boni & mali fucci) librum. Aduersus Lycum, quòd nihil in eo aphorismo Hippocrates peccarit. Qui crescunt, plurimum habent caloris innati. Contra ea quæ à Iuliano in Hippocratis Aphorismos dicta sunt. Condidit etiam Encomium Galeni, & Enantiomatum eiusdem (id est locorum pugnantium) numero 44. explicationem. Iuntæ excuderunt Venetijs anno 1548. in 8. chartis 22. & dimidia. Encomij chartæ ferè duæ sunt, reliquę Enantiomaton. De Antagentericis eius lege supra in Io. Argentario.

Iulius Martianus Rota Italus transtulit de historia philosophica librum Galeno adscriptum. De melancholia caput Aetij, ex Galeno, Rufo & Posidonio. An sanguis natura in arterijs contineatur, aduersus Erasistrati sectatores. De præcognitione librum, quem postea recognouit. De substitutis medicinis librum spurium. De purgantium medicamentorum facultate. De Theriaca ad Pisonem. De usu Theriacæ ad Pamphylianum, non genuinum Galeni librum. De antidotis libros ij. Quos purgare conueniat, quibus medicamentis, & quo tempore, ex Orbasio, Galeno attributum. Cōmentarios Galeni in aphorismos Hippocratis Martianus primum, & Galdalinus, deinde Cornarius recognouerunt.

Iunius Paulus Crassus Patauinus medicus pereruditus tr. De optima secta librum. De cuiusq; animi peccatorum notitia atque medela. Ars tuendæ sanitatis num ad medicinalem artem spectet, an ad exercitatoriam. Commentarios sex in sextum Hippocratis librum de morbis uulgaribus: quos tertio recognouit. De remedijs paratu facilibus libros duos spurios: eiusdem uerò inscriptionis genuinum ab Huberto Barlando cōuersum accuratissimè castigauit, addito etiam principio quod antea desiderabatur. Omnia quidem Galeni à se conuersa recognouit, ita ut habentur in tertia Iuntarum editione, & similiter Frobeniana tertia. In Epitome Andreæ Lacunę, legitur, librum de optima secta à Iunio P. Cracouiensi conuersum esse: apparet autem falsò, Cracouiensi, pro Crasso, positum esse. In eadem Epitome Io. Paulus Crassus memoratur interpres libri, de animi morum & corporei temperamenti mutua consecutione: ubi Iohan. fortè pro Iunio scriptum est.

Laurentius Laurentianus Florentinus, qui claruit circa annum Domini 1500. tr. artem medicinalem, quæ iam olim impressa est in Gallia cum Paradoxis Symphoriani Champerij, & Additionibus Haly Rodoam peracutis ac doctis, & de differentijs febriũ libros duos: qui Parisijs impressi sunt anno 1539. in 16. per Simonem Thomam recogniti, & ex fide Græci exemplaris penè alij facti. Eisdem Rouillius Lugduni excudit anno 1550. in 16. cum adnotationibus ad margines. Et Commentarios tres in prædictiones Hippocratis, excusos Basileę à Cratandro 1529.

Leonhartus Fuchsius Germanus in Tubing. schola professor medicinæ publicus, uertit aliquot Epidemiorũ libros Hippocratis, & Cōmentarios adiecit, qui iam olim impressi sunt. Item de temperamentis libros tres, deq; differentijs febrium duos, tr. & Cōmentarijs illustrauit: quos Iac. Dupuys excudit Parisijs, uno uolumine: circa annum 1554. in altero autē, de inæquali intemperie librum, de morborũ & symptomatum differētij ac causis libros sex. de iudicijs libros tres, de curandi ratione per sanguinis missionem librum 1. omnes à Leonh. Fuchsio enarratos, & (ni fallor) etiam translatos. Annotationes eius in libros de tuenda ualetudine, excusę sunt Tubingę anno Domini 1541. Tabulę sex ab eo confectę in libros de morbis & Symptomatibus, Basileę olim impressę. Commentaria etiam eius in libros de locis affectis, ab ipso translatos, Parisijs inuulgauit Iacobus Dupuys, an. 1554. Item in libros de medicamentis simplicibus. Hipp. aphorismos quoq; in Latinum sermonem uertit, & Cōmentarijs illustrauit: adiectis Annotationibus,

CATALOGVS SECVNDVS, SIVE

tionibus, in quibus quotquot sunt in Galeni Commentarijs loci difficiles explicantur. Oporinus excudit Basileæ anno 1544. in 4. Eiusdem tabulæ de morborum ac symptomatum differentijs & causis, excusæ sunt olim Parisijs chartis basilicis sex: unà cum tabula de curandi ratione per sanguinis missionem, quam itidem Fuchsi esse conjicio, licet nomine eius non inscripto. Scripsit etiam contra Iacobum Scheccium de continente causa, quòd ea in morbis à Galeno non admittatur. Denique in Græcorum Galeni operum Basiliensi editione anno 1538. Tomum secundum ipse perlegit, ac emendauit, ut in præfatione testatur. Suis de historia stirpium Commentarijs, quæ de singulis à Galeno prodita reperiebat, præsertim in libris de facultatibus simplicium med. inseruit. His scriptis ab amico accepi Cõment. Fuchsi in Methodum Galeni, breui edendum esse, & priores aliquot eius lib. recognitos Basileæ iam excudi: sicut & Cõment. eius de stirpibus.

Leonhartus Iacchinus, uel Giachinus, medicus Florentinus olim, postea professor Pisis, egregie doctus, Galeni de præcognitione librum, Latinum fecit, & explanationes addidit, Gryphius excudit Lug. 1540. in 4. Subiecit & apologeticam orationem Iacchinus: qua docet ut plurimum certam esse præcognitionem, si nihil delinquatur. Scripsit & alia quædam, quæ Galenicæ doctrinæ illustrandæ & reuocandi secundum eam medendi usus, non parum conferunt.

Leonardus Legius medicus, patricius Papiensis, & practicæ ordinariæ interpres circa annum Domini 1520. ex multis Galeni libris flores collegit secundum ueterem translationem, & indicem copiosum adiecit, &c. Liber excusus est Papiæ 1520. in 4.

Ludouicus Bellisarius (alias) Bellisarius) medicus Mutinensis, tr. Orationem suasoriam ad artes: & librum, si quis optimus medicus est, eundem esse philosophum. Item de sectis, & de instrumento odoratus: qui duo postremi Venetijs emendatiores prodierunt, in secunda & tertia Iun-tarum editione.

Ludouicus Vassæus Catalaunensis medicus, edidit in anatomen corporis humani in quatuor tabulas diuisum librum, impressum Parisijs primum 1540. deinde rursus 1553. in fol. auctum & recognitum, additis etiam figuris interiorum utriusque sexus, & ossium, chartis 27. Cum ea (inquit in præfatione) quæ Galenus ceterique docti uiri de anatome scripta reliquerunt, latissime fusa sint, uolui illa quodam ueluti Compendio breuiter explicata in tabellas conjicere, ut uia quædam ac methodus esset ad diuinum illud opus de usu partium corporis humani. Nulla quidem in corpore humano tam minima pars est, de qua, si meminerim, in his tabulis non tractetur.

Marcus Antonius Montisianus Gentinianensis, medicus Florentinus, edidit Quæstiones medicinales xxiii. in quib. multa erudite disputat, contra Leoniceum, Gazam, Plinium, Fuchsum, Curtium, Manardum & Andream Turinum: quorum pleraque ad illustrandam Galeni doctrinam faciunt. Impressæ sunt Lugduni 1555. in 16. cum Quæstis medicinalibus 4. Dominici Bucij.

Marcus Toletanus, uide supra in Humain.

Marius Nizolius Brixellensis, uertit explanationem linguarum, hoc est, obsoletarum uocum Hippocratis.

Martinus Acakia Catalaunensis, doctissimus nostro tempore medicinæ professor in Gymnasio Parisiensi, libros duos de ratione curandi ad Glauconem Latinos fecit, & Commentarios addidit, stylo sanè puro & eleganti. Colineus impressit Parisijs 1538. in 4. chartis 40. & Gul. Rouillius Lugduni 1551. in 16. Artem paruam quoque interpretatus est & enarrauit: quam itidem Parisijs Colineus excudit 1543. in 4. cum indice, chartis. 49. & dimidia.

Martinus Gregorius, (Gallus, ni fallor) medicus nostro tempore Lutetiæ, uir utraque lingua doctissimus, Iacobi Syluii olim discipulus, deinde apud Turones medicus, uertit de alimentorum facultatibus libros tres: qui postea Venetijs emendati prodierunt: & Lugduni quoque in 16. anno 1547. cum tabula de alimentorum diuisione à principio, & paucis ad margines scholijs. Item librum de attenuante diætâ: & in introductionem in pulsus ad Teuthram: quam Rouillius excudit Lugduni in 16. anno 1550. cum scholijs marginalibus. Idem translatos prius ab alijs libros aliquos, ad Græca exemplaria castigauit, ex quibus memini uidere, Medendi methodum: Introductionem in pulsus: De motu musculorum: De usu partium: De alimentorum facultatibus: De attenuante uictus ratione: Qui omnes Parisijs olim seorsim impressi sunt. Galeni etiam de ossibus librum, Venetijs à se descriptum, primus typographo dedit Michaeli Vascosano Parisijs. Ea autem spe (inquit Iac. Syluius in præfatione) hanc osteotomen tanquam *περίορον* præmisit noster Martinus, ut doctorum de suis laboribus iudicium exploraret: à quibus si studia sua probari (ut commerita sunt) intellexerit, mox alia quam plurima Galeni & Hippocratis Cõmentaria à se Venetijs & Romæ descripta & castigata, in lucem editurus est. Sic ille. Ego uerò Græcè editum ab eo aliud hæctenus nihil uidi.

Michael Villanouanus scripsit syrporum uniuersam rationem, ad Galeni censuram diligenter expolitam: deque concoctione & purgandi methodo in uniuersum. Valgrisius excudit Venetijs 1545. in 8.

Nic. Biesius Gandauensis, regius medicinæ professor Louanijs, uir solidè eruditus, cõdidit in artē medicā Gal. Cõment. impressus Antuerpiæ an. 1560. in 8. Eiusdem theoreticæ medicinæ lib. 6. quib. omnia

MEDICINÆ INSTAVRAT. NOMENCLATOR.

omnia huius artis præcepta explicatur, à Martino Nutio euulgati sunt Antuerpiæ anno 1558. in 8.

Nicolaus Leonicensis Vicentinus, sub Ludouico Sphortia in Italia præclarus eruditione medicus, inter primos & præcipuos purioris elegantiorisq; medicinæ assertores, & Galeni interpretes, transfudit à Græco sermone libros duos de elementis, artem medicinalem, de motu musculorum libros ij. de differentijs februm, de differentijs & causis morborum symptomatumq; libros ij. priores: de crisi libros iij. (qui Lugduni prodierunt recogniti apud Gul. Rouillium in 16. anno 1547.) de arte curatiua ad Glauconem libros ij. & Cōmentarios in aphorismos Hippocratis. Horum autem pleriq; nunc emēdati & recogniti, præsertim ab Aug. Gadaldino habentur. Lucubrationes quidem medicinales Leoniceni diuersæ, uno uolumine excusæ sunt Basileæ apud Henricum Petri anno 1529. Et postea ibidem apud Cratandrum pluribus adiectis: inter quæ ad Galenum pertinentia hæc sunt: De tribus doctrinis ordinatis secundum Galeni sententiam libro 1. Medici Romani anonymi, Nicolai Leoniceni discipuli, Antisophista, contra sopitam quendam Patavinum: in quo quàm plures Monachi (Drusianum intelligo) Galenitum exponētis errores refelluntur. Vera Galeni sententia de tribus docendi ordinibus defenditur. Ioannis Alexadrini falsas atq; adulterinas Hippocratis Epidemias enarrantis fides atq; authoritas eleuatur. Multa obiter Hippoc. Galeni, atq; Arist. loca à sophista perperam allegata declarantur.

Nicolaus Leonicus Thomæus Italus, uir in philosophia & utraq; lingua doctissimus, quod ex uarijs ab eo editis libris facile constat, uertit documentum de puero epileptico.

Nicolaus Macchellus Mutinensis medicinæ professor excellens, uertit Cōmentarios ij. in Hippocratis librum de natura humana: quos postea recognouit, in secunda editione Iuntarum anno 1556. Hermannus Cruferius tr. in primum Hippocratis de morbis uulgaribus Cōmentarios tres: quibus deinde principium, Nic. Macchello interprete adiectum est. Idem Macchellus libros de Compositione medicamentorum secundum locos à Cornario translatos, ad ueterum Græcorum codicum fidem emendauit: quod ab eo factum Cornarius improbauit, tanquam homine (sic ipse loquitur) non satis ad hanc rem iudicandam præstante.

Nicolaus Regius (alias de Rhegio, Rheginus) Calaber, multorum Galeni operum (inquit Jac. Syluius) interpretis antiquus, rudis quidē, sed fidelis: cuius exemplaria certè castigatissima & integerrima uellem Venetis & Germanis fuisse in manibus, non tot hiatus, tot erratis portentosis scateret Galenus ab his impressus. Hæc miror Venetos in Calabria non cōquisisse, in qua fuit medicus ab hinc annis circiter ducentis. nam Urbanus quintus, fuit circa annum Domini 1362. anno salutis 1463. Pontifice Urbano quinto, ut Guido Cauliacus de eo scribit in initio. Tr. autem librum de partibus artis medicinæ: qui Venetijs ex ueteri eiusdem Nicolai translatione restitutus, in secunda Iuntarum editione impressus est, & postea. De anatomia oculorum, librum spirituum. De usu partium libros xvij. An omnes particule animalis quod in utero est, simul fiant, qui liber Græcè desideratur. De consuetudine seu assuetudinibus librum, qui Græcè nondum excusus est, in secunda tamen Iuntarum editione Galeni operum, ex ueteri Græco exemplari emendatus & plurimum auctus est. De causis procatarticiis librum, quem Græcè desideramus. De Gynæceis, id est, passionibus mulierum. De uiribus Centaurij minoris libellum spurium quoq; transfudit, ut Gentilis testatur. Item de paratu facilibus librum ad Solonem, qui impressus est Papiæ cum Leonardi Legij libris. non conuenit autem ei cum Græcis impressis.

Nobilis Socius Salodiensis medicus scripsit de temporibus & modis rectè purgandi in morbis, in sectiones 4. diuisum tractatum: in quo passim Hippocratis, Galeni & Auicennæ locos recitat & declarat. Sebastianus Barptolemæi Honorati excudit Lugduni in 16. anno 1555.

Oribasius Sardus, Iuliani apostatæ archiatros, plurimos in re medica libros Græcè scripsit, quos ex ueteribus ferè, Galeno & alijs decerpfit, &c.

Paulus Aegineta passim plurima Galeni habet, breuissimè comprehensa: quæ quidem non tam ex ipsis Galeni libris, quàm Oribasij mutuatus uidetur, adiectis etiam alijs, &c. Ita ut rei medicæ Epitome ad Eustachium filium ab Oribasio cōscripta, (& nuper typis excusa) studiosi fortè non admodum indigeant.

Petrus Andreas Matthiolus Senensis, suis in Dioscoridem Cōmentarijs, quæ de singulis medicamentis reperiuntur Galeni uerba, præsertim in lib. de simplic. med. facultatibus, passim inserit.

Petrus Toletus medicus hospitalis Lugduni, tr. in Gallicam linguam Galeni librum de tumoribus contra naturam: & de curandi ratione per uenæ sectionem. Steph. Doletus impressit Lugduni anno 1540. quo tempore etiam author Lugduni floruit.

Petrus Valla Placentinus tr. tabulam de succidaneis sed parū feliciter, quæ Basileæ olim cum alijs Galeni libris excusa sunt.

Philibertus Saracenus. Lege infra in Theodorico Gerardo.

Philippus Melanchthon, uir omnigena eruditione præstantissimus, & summum Germaniæ nostræ decus, uitam Galeni breuiter conscripsit.

Realdi Columbi Anatomicum opus, nuper (ut audio) Venetijs excusum est, in folio. Vide supra in Io. Valuerda.

CATALOGVS SECVNDVS, SIVE

Renatus Henerus Lindoensis medicus doctissimus, doctissimi patris medici filius, (uiuunt autem hoc tempore anno 1561. ambo, ni fallor, & ut diu uiuant opto,) edidit apologiam pro Andrea Vesalio, in qua praecipue totius negotij anatomici penè controuersiae breuiter explicantur, aduersus Iacobi Syluij Depulsionū anatomicarū calumnias. liber impressus est Venetijs an. 1555. chartis magnis 9. cum dimidia in 8. adiūctus est autem etiam ipse Syluij Depulsionum libellus.

Sebastianus Scrofa, qui claruit Lutetiae anno 1546. eodem tempore uertit librum Galeni de bono & malo succo, multò quàm antea sit factum castigatius, cū scholijs per margines, & praefatione qua ceu summam libri perstringit. Paulus Mirallietus excudit Lugduni, in 16. anno 1547.

Simon Thomas. Quare superius in Laurentio Laurentiano. Stephanus quidam Atheniensis philosophus (de quo aliud nihil cognouimus) Graecè scripsit explanationes eruditas in Galeni priorem librum Therapeuticum ad Glauconem: quem Augustinus Gadaldinus Latinum fecit cum Galeni contextu: & scholia addidit, quibus castigationes à se factas explicat. Iuncte excudebant Venetijs 1554. in 8.

Symphorianus Campegius, (aliàs Champerius) Lugdunensis, natione Gallus, eques auratus, ac Lotharingorum principis archiatros, multos & uarios libros edidit, circa annum Domini primum (quòd sciam) 1516. & deinceps: ex quibus ad Galenum spectant quae sequuntur. Epitome Commentariorum Galeni in libros Hippocratis quatuor, nempe Aphorismorū, Prognosticorum, Regiminis acutorum morborum & Epidemiorum. Eiusdem in praedictos Hippocratis libros Centiloquium Isagogicum. Haec simul impressa sunt Lugduni anno 1516. in 8. Scripsit & Paradoxa in artem paruam Galeni: in quibus praclarissima quaeque & digna lectu, quae à Drusiano, Gentili, Iacobo Forliuensi, Sermoneta, & Vgone Senensi, omnibusq; neotericis scripta sunt ad medicos instruendos breuiter clareq; narrantur. Liber euulgatus est (Lugduni ni fallor) anno 1515. Eiusdem Campi historiales Galeni, ex omnibus Galeni libris excerpti, & Commentarijs eius explicati, libris 4. narrantur autē in eis omnia Galeni experimenta, & reliqua quoquo modo ad medicinā pertinentia, quae ipse Galenus sparsim in operibus suis se uidisse aut obseruasse testatur. Item campi Clysteriorum, secundum Galeni & Graecorum doctrinam, contra Arabum traditionem congesti. Cratander impressit Basileae 1532. unā cum libello de uenae sectione in pleuritide. Scripsit etiā libellos duos, de corporū animorumq; morbis ac remedijs: quorū prior introducit in practicam Galeni: Secundus curat animi aegritudines.

Thaddaeus Dunus Locarnensis medicus, doctrina artisq; usu & iudicio praclarus, editis (hic apud nos) epistolis suis, & libello de semitertiana, artem nostram non parum iuuat, & pariter Galeni doctrinam de oxymelite pleuriticis exhibendo, de pleuritide ipsa, deq; arthritide ac semitertiana, illustriorem reddidit. Habet praeterea conditos à se summo studio libros, & breui (ut spero) edendos, quibus multa Galeni loca egregie illustrat, ac textum aliquot in locis emēdat: in primis uerò detrahendi sanguinis rationem, nouo quodam modo traditam, clarius multò quàm hactenus factum sit, explicat.

Theodoricus Gerardus Gaudanus tr. libros XI. de simplicium medicamentorū facultatibus, qui postea ab Aug. Gadaldino ad ueterum Graecorum exemplarium fidem multis in locis recogniti sunt. Eisdem Gul. Rouillius excudit Lugduni anno 1552. in 16. per Philibertū Saracenum medicum Nosocomij eo tempore Lugduni ad Graeci exemplaris collationem emendatos, cum scholijs marginalibus. Vertit etiam de curandi ratione per sanguinis missionem librum, quem itidem postea Aug. Gadaldinus emendauit. item de hirudinibus, retuisione, cucurbitula & scarificatione. quos ambos Cratander excudit Basileae 1529.

Theodorus Zuinggerus Basiliensis, philosophus & medicus doctrina & eloquentia praestans, & utriusque linguae peritissimus, nuper in artem medicinalem Galeni tabulas & Commentarios edidit: ex quibus medici, longè artis Compendium: philosophi cognitionem naturae in corpore humano, tanquam in microcosmo: logici denique artificiosam ordinis definitiuū Dialysin, magna cum utilitate & facilitate hautire poterunt. Item tabulas & Commentarios in librum de constitutione artis: ex quibus rationem inueniendī & constituendī artem quamlibet, iuxta resolutiuū ordinis leges, (cuius natura, ars & usus multis iam seculis latuit,) studiosus lector facili negotio depromet. Vtrunque opus auūculus eius Io. Oporinus excudit Basileae, hoc anno 1561. in folio charta basilica. sunt autem prioris chartae 39. posterioris 19. His certè sui ingenij primitijs Zuinggerus, aetate adhuc iuuenili, tantam de se spem nobis excitauit, ut nihil mediocre ab eo expectemus, & summum arte nostrae decus, ex eius deinceps lucubrationibus, (quas Deus o. m. fortunet) accessurum speremus.

Thomas Linacer natione Anglus, philosophus & medicus utraq; lingua doctissimus, & politissimi stili, magnam scriptis suis laudem & gratiam apud omnes eruditos meruit, ita ut grammaticus optimus, & praestantissimus Galeni interpretum meritò habeatur. Obijt Londini anno Domini 1524. aetatis suae 64. ut doctissimus uir Michael Barth Annebergensis, in oratione quam de huius uiri laudibus habuit (Lipsiae nuper excusa) testatur. Transtulit aliquot Galeni libros eleganti & exquisito sermone, ut Guilielmus Budeus grauissimus censor de eo praedicat, ita ut multò